

dum agrum, fundum, domum, etc. quæ quidem non absolute necessaria, bene vero admodum utilis, et proficua foret pro bono publico, aut religionis favore. Nihilominus communis affirmative respondet, teste Covarruvia, loc. cit. ad finem, ubi communi opinioni et ipse adhærens ait, æquissime quidem facturum judicem, qui in simili casu receptissimæ doctorum sententiæ se accomodans, privatam cogit ad vendendum agrum, domum, etc. quando exinde nullum aut sane modicum venditori accrescit detrimentum: ubi vero detrimentum notabile venditori ex hujusmodi venditione inferetur, potestatem cogendi inferioribus iudicibus non competere, sed negotium per supremum principem decidi debere arbitratur: quæ doctrina et æquitati, et juri videtur consona, arg. l. *Si quando* 9, c. *de Operibus publicis*.

37. *Dominus servum nimis dure tractans, cogi potest, ut eum vendat. Idem est de dominis jurisdictionalibus nimis severe tractantibus subditos. Abuti nemo potest re sua.* — Quarto dominus nimis severe ac inhumane tractans servum suum cogi potest eum vendere: § 2. Instit. « de His, qui sunt sui, vel alieni juris. » Ratio ibidem redditur: « Expedi enim reipublicæ, ne sua re male quis utatur. » Idem est ob paritatem rationis, si ad illicita servum traheret, Castro Palao, post Covarruviam, Molinam, et Layman, locis citatis. Ob eandem juris rationem ulterius inferunt doctores citati cum Gail., lib. I. observ. 13, n. 5, et observ. 17, per totum; Mynsing., cent. 5, observ. 8. Dominos jurisdictionales quoque, qui supra modum in subditos sæviunt, vel insolitas operas et angarias ab eis extorquent, cogi posse, ut jurisdictionem suam alteri saltem ad sui vitam vendant.

38. *Alii casus reperiuntur apud Jasonem.* — Præter enumeratos, sunt adhuc alii, minus tamen frequentes casus, in quibus ad vendendam rem suam cogi quis potest, quos videre licet apud Jasonem, in cit. l. *Nec emere, de Jure deliberand.*

39. *Ad emendum, quibus in casibus quis cogi possit.* — Resp. III. Pariter dantur casus, in quibus ad emendum quoque quis cogi potest, quoties nempe id exigit commune reipublicæ bonum, cui prospicere omni meliori ac possibili modo, uti magistratus tenetur, ita haud dubie potest cogendo etiam privatos ad emendum, Abbas, in c. i. h. t. n. 6; Layman, et Castro Palao, locis citatis. Probat

et exemplificatur inductione. Sic namque 1. ad evitandam communem inopiam, cives cogi possunt ad coemendum frumentum et alia vitæ necessaria; 2. idem fieri potest, dum timetur obsidio loci; 3. juste coguntur subditi ad emenda instrumenta, sicut et alias res, sine quibus officio, obedientiæ, vel obligationi incumbenti satisfacere nequeunt, doctores citati cum communi aliorum.

40. *Nisi specialiter prohibeatur, quævis res humano commercio subjecta emi vendique potest.* — Quæritur III. Quænam res emi vendique possint? Resp. I. Regula universalis est: Omnium rerum, quas quis habere, vel possidere vel prosequi potest, venditio recte fit. Quas vero natura, vel gentium jus, vel mores civitatis (vel jus divinum, civile, canonicum, aut statutum locale, ut cum aliis bene addit Azorius, n. 2. lib. VII. c. v. § *Res præterea*) commercio exuerunt, earum nulla venditio est. Ita expressus textus l. *Si in emptione* 34. § 1. ff. *de Contrah. empt.* Concordant dicta superius lib. I. tit. XXXV, *De Pactis*. § 2. per totum. Ex hac regula

41. *Etiam futura, seu quæ sperantur.* — Infertur primo, emi, vendique posse res non tantum existentes, sed et futuras, quæ adhuc existunt in naturali causa, vel alias sperantur: cujusmodi sunt « fructus, et partus futuri: » item « jactus aleæ, captus piscium, » etc. textu claro l. *Nec emptio* 8, in princ. ff. *de Contrah. empt.* Ubi tamen notabile ponitur discrimen inter res, quas futuras ex causa et ordine naturali exspectamus; et inter res, quas per accidens et fortunam potius, quam naturæ cursum speramus.

42. *Exceptio rei, quæ speratur ex causa naturali est conditionata, videlicet, si nascatur.* — Res siquidem prioris generis, v. g. fructus agri, partus animalium, etc. censentur emi sub tacita conditione, « si nascantur: » qua conditione non adimpleta, invalida erit emptio, et restituendum erit pretium emptori. Imo si venditor fuit in causa, ne fructus empti nascerentur; tenebitur etiam ad interesse, cit. l. *Nec emptio*; Molina, disp. 340, numer. 14; Haunold., tract. X, c. xiv, contr. 14, § 1.

43. *Emptio vero rei, per fortunam, et per accidens exspectatæ, absoluta est.* — Res vero secundi generis, jactus aleæ v. g. aut captus piscium censentur absolute, et sine ulla conditione emi, ita ut pretium remaneat venditori, etsi parum, vel nihil capiatur, cit. l. *Nec emptio*. ubi ratio redditur, « quia spei

emptio est. » Sicut e contra res capta emptoris erit, etsi duplo excedat pretium l. *Si jactum* 12. ff. *de Action. empt.* Nisi forsitan contrahentes ipsi emptionem aliter modificent, dicendo v. g. Dabo pro quavis libra piscium, quos cavies decem crucigeros: tunc enim haud dubie conditionata censebitur emptio; videlicet, si pisces capiantur. Sicut e contra contractus absolutus foret, si quis prioris generis res emens diceret: Dabo tibi pro fructu, aut partu, qui speratur, hanc summam pecuniæ, sive aliquid, sive nihil nascatur.

44. *Emi vendique possunt tam mobilia, quam immobilia.* — Infertur secundo, emi ac vendi posse res, sive mobiles sint, sive immobiles, sive corporales, sive incorporales uti sunt nomina, jura et actiones, debita, hæreditates, etc. Ratio est: quia omnes et singulas « has res quis habere, vel possidere, vel prosequi potest; » id quod de jure requiritur, et regulariter sufficit ad hoc, ut res aliqua recte vendi, emique valeat. Verum quia in uno alteroque ex præfatis specialis reperitur difficultas, singulatim de iis agatur § sequenti. Interea

45. *Vendi prohibetur homo liber, nisi major 25. annis consentiat.* — Resp. II. Res, quæ vendi emique nequeunt, potissimum sunt sequentes. Primo: homo liber, l. *Si in emptione* 34. ff. *de Contra empt.* ibi: « Hominem liberum scientes emere non possumus; nisi major viginti quinque annis ad pretium participandum sese venundari patiatur, » § 4. Instit. *de Jure person.*

46. *Filius amen pater, victus causa, vendere potest.* — Specialiter etiam in jure l. II. c. *de Patribus, qui filios distraxerunt*, conceditur Patri, « quod propter nimiam paupertatem, egestatemque, victus causa, filium, filiamve vendere possit; » quod ipsum etiam de jure naturali licitum videtur, prout bene advertunt Covarruvias, lib. III. *Variar. resolut.* c. xiv. n. 4; Tiraquell., lib. I. *de Retract.* § 26. num. 17. eo quod proles post Deum maxime obligatæ existant patri, indeque naturæ omnino conveniens reputatur, ut proles ad conservandam vitam patris, libertate privari se sinat. Plura de hoc videantur apud cit. doctores et Azorium, part. III. lib. VIII. c. vi. per totum.

47. *Res spiritualis emi vendique nequit.* — Secundo emi et vendi nequeunt res mere spirituales, aut spiritualibus annexæ: talium enim venditio foret simoniaca: per textus

can. ult. et penult. can. 1. q. 3. Idem est de rebus sacris, seu sacratis qua talibus. Concordat jus civile, l. *Sed Celsus* 6. l. *Hanc legem* 22. l. *Littora* 51. A. *de Contrah. empt.* juncta l. *Sancimus* 17. c. *de Sacrosanctis Ecclesiis*. Verum de his ex professo tit. *de Simonia*.

48. *Veneri mali, non item boni venditio prohibetur.* — Tertio fieri non potest emptio venditio veneri mali, id est talis, « quod nullo modo adjectione alterius materiæ, usui nobis esse potest. » l. *Quod sæpe* 35. § 2. ff. *de Contrah. empt.* « De veneri vero, quæ mixta aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidoti, et alia quædam salubria medicamenta conficiantur, aliud dici potest; » pergit in contextu citata l. *Quod sæpe*.

49. *Item res litigiosa. Litigiosa res, quæ?* — Quarto emi et vendi non possunt res litigiosæ. Patet ex toto tit. *de Rebus litigios.* item l. *Lite pendente* 2. l. *Quicumque* 3. et l. *Censimus* 4. c. *de Litigiosis*. Dicitur autem « litigiosa res, de cujus dominio causa movetur inter possessorem et petitem, judiciaria actione, vel precibus principi oblatis, et judici insinuatis, et per eum futuro reo cognitis, Authen. *Litigiosa*, c. eod. Atque amplius declaratum est supra lib. II. tit. XVI. *Ut lite pendente*, etc. § 2. per totum.

50. *Et res universitatis.* — Quinto vendi prohibentur res universitatis, id est, jure universitatis, et non jure singulorum possessæ. l. *Pacta* 72. § 1. ff. *de Contrah. empt.*

51. *Turcis, et Saracenis vendi non possunt arma, annona, etc.* — Sexto vendi non potest Turcis, Saracenis et gentibus Barbaris, hostibus nostris annona, nec aliquod quodcumque tandem genus armorum, l. *Nemo* 2. c. *Quæ res exportari*. SS. *Canones*. cap. vi. xl. et xvii. *de Judæis*, etiam excommunicant illos, qui merces, vel arma Turcis transmittunt: de quo plura suo loco.

§ III.

DE QUIBUS VENDITIONIBUS IN SPECIE: OFFICIORUM VIDELICET, NOMINUM, AC HEREDITATIS.

52. *De jure naturali non est prohibitum officia publica vendere.* — Quæritur I. An, et quomodo vendi emique possint officia publica? v. g. præfecti, cancellarii, vicedomini, consilarii, judicis, scribæ, tabellionis, etc. Resp. I. Spectando jus naturale non est præ-

bibitum nec illicitum, moderato pretio vendere officia temporalia, tali, qui idoneus, et officio bene functurus creditur. Ita divus Thomas, in *Epistola ad ducissam Brabant.* opuscul. 21; Covarruvias, in *Manuali*, c. xxv, n. 7; Azorius, part. III, lib. VIII, cap. vii; Haunoldus, tract. X, contr. 16, § 6; Castro Palao, *de Justit. commutat. disp. 5. punc. 14, n. 13*; Cajetanus, Sylvester, et communis aliorum contra Adrianum et Glossam, in c. i. *Ne prelati vices suas*, vers. *Conferendi*. Fundamentum conclusionis est: tum quia hæc officia quatenus lucrum, et commoditatem afferentia, sunt vere pretio æstimabilia: tum etiam, quia ostendi non potest, qua ratione similis venditio esset juri naturali contraria.

53. *Solvitur objectio.* — Nec enim valet illa, quam adversarii communiter afferunt, ratio, videlicet, quod hujusmodi officiorum venditio sit reipublicæ perniciosa, cum occasione illius ad officia plerumque applicentur, non qui apti et digni, sed qui divitiis abundantes plus offerunt, quantumvis cæterorum in inepti et incapaces existant, quique officio adepto omnibus modis per fas et nefas adlaborant, ut pretium expensum iterum recuperent, parum vel nihil solliciti, quomodo obligationi officii satisfaciant.

54. Nam contra est, quod ratio hæc tantum locum habeat, si officia cuivis indiscriminatim, pretioque immoderato; non item si, quod solum concedit conclusio nostra, idoneo et apto, atque moderato vendantur pretio; uti consideranti patet. Ultra enim fatemur ob rationem præfatam, perniciosum simul, et scandalosum, indeque summe illicitum esse, indiscriminatim cuivis, pretioque excessivo officia publica vendere.

55. *De jure humano officia publica non possunt vendi.* — Resp. II. Spectando leges positivas humanas vendi et emi non possunt officia temporalia. Ita clare patet ex *Novell. 8, cap. vii, l. Nemo*, loc. cit. c. *de Adessor. l. XIV. c. de Remilitari*, juncta speciali constitutione Pii V, edita 1571. quam per extensum refert Navarrus, in *Manual. 6.* ubi severissime et universaliter prohibetur quæcunque officiorum emptio venditio ob plerumque concurrentia pericula et damna, n. 53. posita.

56. *Nisi adsit consuetudo.* — Resp. III. Nihilominus ubi legitime introducta habetur consuetudo, valide ac licite officia temporalia moderato pretio vendi possunt dignis ac idoneis, Ita doctores communiter, supra n. 52.

citati. Ratio est, quia hoc, ut supra probatum, nullo modo adversatur juri naturali; sed tantum humano, contra quod valida et licita est consuetudo legitime introducta. c. fin. *de Consuetud.* Quæ ratio cum non tantum in supremis principibus, sed aliis, ipsis etiam officialibus procedat, de iis quoque conclusio intelligenda est; ut proin quivis officialis officium suum, temporale vel pro annua pensione aliqua alteri resignare, vel pro pretio moderato omnino cedere, sicque vendere, valeat, ubi id faciendi habetur consuetudo; qualis vigere dignoscitur in Germania, ubi similes officiorum resignationes, accessiones ab officialibus, viris etiam timoratis passim practicari videmus. In Gallia, et Hispania, quod officia a regibus ac principibus frequentissime vendantur, exploratum est. Testatur Azorius, loc. cit. idipsum etiam in Curia Romana practicari: sed sit fides penes auctorem.

57. *Vi cujus pretio moderato dignis et idoneis, non item indignis, aut immoderato pretio venduntur licite.* — Dicitur notanter « dignis et idoneis, atque moderato pretio: » indignis enim et ineptis, aut excessivo pretio vendere, cum sit perniciosum reipublicæ, simulque scandalosum, utpote inductivum ad varias injustitias, semper et ubique ac respectu omnium prohibitum est, non obstante etiam inveterata consuetudine, quæ utpote fovens peccata, potius dicenda est corruptela, c. fin. *de Consuetud.* Concordant dicta lib. I. tit. *De Consuetudine*, § 3.

58. *Nomina et rura emi vendique possunt Per nomina quid intelligatur?* — Quæritur II An, et quomodo emi, vendique queant nomina? Prænotandum, per *Nomina* intelligi jura illa, et actiones, quæ alicui competunt ad petendam ab altero solutionem debitam. Hinc actiones etiam passim dicuntur jura debita, credita, chirographa. Hoc notato, Resp. I. Certum est nomina, seu actiones, credita, debita, chirographa valide ac licite vendi emique posse, etiam ignorante et invito debitore. Ita unanimis ob clara jura l. *Nominis. 3. c. de Hæreditate vel actione vendita.* ibi: « Nominis venditio etiam ignorante, vel invito eo, adversus quem actiones mandantur, contrahi solet. » lisdem pene verbis loquitur l. I. c. *de Novat.* Concordat, l. *Nomina. 17. ff. de Hæreditat. et action. vendit.* quæ etiam rationem dat, dicens: « ea enim res est, quæ emi et vendi potest. »

59. *Certa solum et liquida, non autem in-*

§ III. DE QUIBUSDAM VENDITIONIBUS IN SPECIE.

certa aut litigiosa debita vendi possunt. — Resp. II. Ut Nomina rite vendantur, debent esse certa, ac liquida, et liti nondum subiecta; nam incerta, vel illiquida, aut litigiosa, vendi et emi non possunt. Patet conclusio tum ex dictis supra n. 49. tum ex l. *Quicumque. 3. c. de Litigiosis.* Quibus addendum, quod quamvis, ut infra dicetur, nomina incerta et litigiosa alteri donari possint, tamen si quis publice donationem nominis sibi factam simulans, occulte aliquid, v. g. centum. pro incerto debito mille florenorum dedisset, sicque quodammodo emisset, debitor neque tali ementi, neque principali priori creditori plus dare teneatur, quam quod emptor dicto creditori dedisse comprobatur; etiamsi occultus hujusmodi emptor, causam integri debiti litigiosi in judicio lucretur. Ita in favorem debitorum, contra ementes et vendentes litigiosa ac incerta debita, expresse statutum habetur l. *ab Anastasio. 23. c. Mandati.* Verum de donatione magis infra.

60. *Certa etiam vendi nequeunt potentiori ratione officii.* — Resp. III. Nomina etiam certa vendi nequeunt potentiori. Textus est in l. II. c. *de Potentiori.* ubi etiam creditor puniri jubetur amissione totius debiti illius, quod potentiori vendere nititur. Notat tamen Glossa, ibidem vers. *Actionis*; Molina, disp. 340. n. 7; Layman, lib. III. tract. IV. c. xvii. § 5. n. 32. legem solummodo intelligendam esse de potentiori ratione officii, aut potestatis exercendæ in debitorem, ut proin potentiori ratione alterius qualitatis, nomina certa licite et valide vendi queant. De his omnibus, uti etiam de subsequentibus tractat utiliter Casparus Manzus, part. III, *Præsidiæ creditorum* per totum, fusius explicans legem famosam Anastasianam, a suo auctore Anastasio imperatore sic dictam, reperiendam in jure civili, l. XXII. c. *Mandati*, junctis l. XXIII et XXIV. ibidem.

61. *Debita etiam certa minori pretio emi possunt, si absque difficultate, lucro cessante, vel damno emergente obtineri non possunt.* — Quæritur III. Utrum nomina v. g. debita, aut chirographa certa mille florenorum post annum solvendorum, de præsentem emi possint minori pretio, v. g. octingentis aut nongentis florenis? Resp. I. Debita quantumvis certa, quæ ob absentiam, potentiam, tenacitatem, paupertatem, aut aliam odiosam qualitatem debitoris sine difficultate, vel lucro cessante aut damno emergente obtineri non

possunt, minori pretio juxta qualitatem difficultatis, periculi, damni, etc. valide ac licite emuntur. Ita communis et certa, siquanter Lessius, lib. II. c. xxi. dubitat. 8, n. 63, ubi conclusionem ut certam supponit, Layman, loc. cit.; Abbas, in c. II. *de Alien. Judicii mut.*, n. 6; Haunoldus, tract. X. c. I. contr. 14, n. 100; Molina, arg. l. *Minus. 204. ff. de Reg. jur.* Ratio est, quia justum rerum pretium, communi hominum æstimatione statuitur l. *Pretia rerum. 63. ff. ad l. Falcid.* omnium autem prudentum judicio debitum, quod absque difficultate, periculo, expensis, aut lucro cessante, vel damno emergente obtineri nequit, minoris, ac in se ipso est, æstimatur; ergo.

62. *Similia debita etiam ille licite minoris emit, qui ea facillime obtinere potest.* — Resp. II. Eadem debita minori pretio emi possunt etiam ab illo, qui ob certam aliquam circumstantiam, v. g. ob favorem principis, aut officialium, vel ipsiusmet debitoris, absque omni prorsus difficultate et periculo, necnon sine ullo lucro cessante, et damno emergente, præfata debita facillime obtinere potest, Lessius, loc. cit. dubitat. 9. n. 75; Layman, loc. cit.; Lugo, disp. 26. n. 94; Molina, 361. n. 10; Sala Haunoldus, et communis aliorum contra nonnullos alios, ut Malderum, et Malfesum. Ratio est; quia ubi a lege taxatum non habetur rerum pretium; desumendum est non a singulorum, vel paucorum, sed a communi æstimatione hominum, cit. l. *Pretia rerum. 63. ff. ad l. Falcid.* Communi autem æstimatione haud dubie minoris reputatur debitum etiam certum, quod absque difficultate, incommodis, expensis, periculo, lucro cessante, aut damno emergente nec creditor, nec alii de communitate obtinere possunt; ergo.

63. *Solvitur instantia.* — Nec obstat, quod in uno vel altero emptore hæc ratio diminuendi pretium non inveniatur; quia hoc prorsus per accidens se habet, et ad privatam atque specialem fortunam pertinet, quam emere nemo tenetur. Sicut a pari venditor pretium mercis ex solo hoc capite auferre non potest, quod merx hujusmodi ob specialem aliquam circumstantiam uni alterique emptori lucrum aut commodum speciale causet, arg. cit. l. *Pretia rerum. 63. ff. ad l. Falcid.* ibi: « Pretia rerum non ex affectu, aut utilitate singulorum, sed communiter funguntur. »

64. *Quando hujusmodi debita emi possint ab*